



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De dignitate Sacramenti, & statu sacerdotali. 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

premor: & non est qui adiuuet, non est qui liberet, & saluum faciat, nisi tu Domine Deus saluator meus: cui committo me & omnia mea, vt me custodias, & perducas in vitam æternam. Suscipe me in laudem & glóriam nominis tui, qui corpus tuum & sanguinem, in cibum & potum mihi parasti. Præsta Domine Deus salutaris meus, vt cum frequentatione mysterij tui, crescat mea deuotionis affectus.

## CAP. V.

*De dignitate Sacramenti, & statu sacerdotali.*

## VOX DOMINI.

*Mat. II.* I **S**I haberes angelicam puritatem, & sancti Ioannis Baptistæ sanctitatem: non esses dignus, hoc Sacramentum accipere, nec tractare. Non enim hoc meritis debetur hominum, quod homo consecret & tractet Christi Sacramentum, & sumat in cibum panem Angelorum. Grande mysterium, & magna dignitas Sacerdotum: quibus datum est, quod Angelis non est concessum. Soli namque Sacerdotes ritè in Ecclesia ordinati, potestatem habent celebrandi, & corpus Christi consecrandi.

*Psal. 77.*

crandi. Sacerdos quidem minister est Dei, vtens verbo Dei, per iussionem & institutionem Dei: Deus autem ibi principalis est auctor, & inuisibilis operator, cui subest omne, quod voluerit, & paret omne quod iusserit.

Gen. 1.

Psal. 148.

1. Ro-

man. 9.

2 Plus ergo credere debes Deo omnipotenti, in hoc excellentissimo Sacramento, quàm proprio sensui, aut alicui signo visibili. Ideoque cum timore & reuerentia ad hoc opus est accedendum. Attende tibi, & vide cuius ministerium tibi traditum est, per impositionem manus Episcopi. Ecce, Sacerdos factus es, & ad celebrandum consecratus; vide nunc, vt fideliter & deuotè, in suo tempore, Deo sacrificium offeras, & te ipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleuiasti onus tuum, sed arctiori iam alligatus es vinculo disciplinæ, & ad maiorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, & aliis bonæ vitæ exemplum præbere. Eius conuersatio, non cum popularibus & communibus hominum viis, sed cum Angelis in cælo, aut cum perfectis viris in terra.

1. Tim.

4.

Phil. 3.

; Sacer-

Heb. 5.

3 Sacerdos sacris vestibus indutus, Christi vices gerit; vt Deum pro se & pro omni populo, suppliciter & humiliter regit. Habet ante se & retro Dominicæ crucis signum, ad memorandam iugiter Christi passionē: Ante se crucem in casula portat, vt Christi vestigia diligenter inspiciat, & sequi feruēter studeat. Post se cruce signatus est, vt aduersa quælibet ab aliis illata, clementer pro Deo toleret. Ante se crucē gerit, vt propria peccata lugeat: Post se, vt aliorum etiam commissa per compassionem defleat, & se medium inter Deum & peccatorem constitutum esse sciat. Nec ab oratione, & oblatione sancta torpescat, donec gratiam & misericordiam impetrare mereatur. Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, viuos adiuuat, defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit.

CAP.